Caput 6.

De Capitalibus, et non capitalibus Pœnis.

§ 12.

Capitalium divisio, et non capitalium pœnarum traditur, et explicatur.

Cum ageremus de criminibus pro varietate pœnarum suarum distinguendis, hoc eodem modo innuit capitales pœnas in civitate vocari illas, quæ tollunt caput civile; non capitales autem, quæ, civili eodem capite salvo, afficiunt alio modo. Ita quidquid privat hominem vita, libertate, aut civitate, habetur in capitalibus: cæteræ quæ sunt animadversiones non capitales.

§ 13.

De Capitalium Pœnarum principe morte, et utrum eam pœnam oporteat retineri in civitate.

Nam eam legibus, quam natura mors existit in capitalibus, eaque pœna capitalium inaestimabilium longe maxima. Siquidem delet naturale caput, vitamque hominis, delet simul, quæ sine illis nequeunt consistere, caputque, vitamque civilem. Contra ea animadversiones cæteræ, quas sola scita civilia in capitibus numerant, eripiunt illæ quidem civem, non

eripiunt hominem.

Omni tempore apud Gentes omnes, nedum apud Romanos, extiterunt pœnæ, quæ vitam auferunt. Ex hoc vel uno habes quid judices de opinione eorum, qui duce Scriptore libri dei delitti, e delle pene, superiori sæculo acerrime contenderunt exterminanda esse supplicia talia a communitatibus hominum: quasi vero in re, quam quisque ipse vel naturali ratione poterat, quam propterea novisse plurimum ejusmodi quæ interfuerat omnium temporum, barbarique, homines turpiter erravissent.

At vero quid isti afferunt? Principio quærunt quo jure pœna hæc infligatur? Civitas enim pertinet quidquid habet, satis cum habeat (inquiunt) ex concessione hominum, qui coiverunt in societatem, isti jus occidendi se, quo jure carebant ipsimet, nequiverunt transferre ad alios. Deinde nec necessariam, nec utilem judicant pœnam eandem, quia satis ad continendam in officio civitatem sit, si rei criminum majorum perpetuis maneant in vinculis; quin etiam multo utilius eos laboribus suis publicam in rem jugiter insumendis ita aliquo pacto sarcire publicum detrimentum, quod pepererint sceleribus suis,

naloque s[illegible]rum exemplo.

Nunc est ad primum dicam, si natura non licet homini necare se, certe licet sui tuendi causa occidere quemvis, atque ipsi per injuriam impetitur hostiliter (§ 10° in princ. lib. 1): ergo in conjungendis civium cœtibus potuit hoc jus transire ad illos, qui natalis cunctis hominum constituebantur præfuturi; et quam eadem antea satis probabat ratio incolumitatis privatæ, multo magis debuit deinde probare eadem ratio incolumitatis publicæ. Supremam potestatem eorum, qui in civitatibus regnant, haud certe metimur sola voluntate, potestateque subditorum hominum. Numquid enim non vult Deus unumquemque, quem creavit, hominem bene esse? Num quid velle tanto magis non debet bene esse societates civiles, quæ ex tanta hominum multitudine constant? Itaque si vult ut bene sint illæ, oportet nocentes aliquos interdum vita privari, tam certum est id ipsum fieri volente Deo, quam certum est Deum velle quæ sunt maxime propria ejus infinitæ boni, justitiæque, quam certum est, ut dicam paucis, Deum esse Deum (§ 8° in princ. lib. 1).

Ex his patet quæstionem eam, quæ in hoc

genere fieri fit, utrum liceat, pendere plurimum ab illa alia, quæ fit, utrum oporteat. Oportere autem evincitur satis, superque et ipso usu hominum, qui pœnam hanc ubique, et perpetuo adhibuerunt. Quid enim aliud quærimus, ubi naturæ testimonium audivimus? Quæ opiniones hominum sunt ex ipsis hominibus reperias eas mirabiliter varias, et nunquam non dissentientes: sola est natura, quæ eadem est in cuncto genere humano. Itaque non minus vere, quam eleganter ajebat Cicero in Tuscul. = Consensus omnium gentium vox naturæ putanda est = (§ 14°).

Neque vero si societates criminibus lacerantur, si caveant idcirco ab illis necesse est modis omnibus; cur non igitur cavebuntur morte etiam proposita. Nulla alia res æque potens ad retinendos in officio homines, absterrendosque a scelere. Nam quid perpetuam captivitatem substituunt in mortis locum? quid prædicant hac pœna illam futuram vel terribiliorem? Appetitui beate vivendi repugnat captivitas: est hic appetitus, fateor, mirabiliter vehemens: est multo vehementior ille, quo conflagramus omnes, appetitus vivendi, quo ipso appetimus potiri et vivere primum necesse est, si bene vivere

volumus (§ 12° in princ. lib. 1, § 34° lib. 2°). Accedit quod omnes intelligant, cui semel acciderit mors, reviviscere illum non posse amplius: contra sedulus posse parari vias, per quas liceat aliquando exire carcere, et captivitate. Dispicite dein, quantum hęc spes, ista cogitatio et detrahat formidini, et addat vicissim audacię facinorosorum hominum.

Atqui existunt delicta quędam, quibus civitas vel diruitur fundibus, vel gravissime labefactatur: in his a pęna capitis non licebit discedere, si quomodocumque dubitare liceat de efficacitate pęnarum aliarum: certa enim debet esse, non anceps publica salus. Sunt crimina alia, quorum tanta est dulcedo, ut pateat vix posse vinci mortis a terrore. Etiam quę scelera nec tam valde delectant, nec tam valde nocent, si tamen usus docuit propter animos in illa proclives, ingeniumque populi minime reprimi posse pęnis, quę sunt infra mortem: in his etiam aut aliis quis dubitaverit, quin oporteat mederi gladio? Sic intra terminos necessitatis claudenda ista pęna erat, non erat tamen neganda necessitas pęnę ejusdem. Nam si rerum humanarum quamvis turpissima

nec mors ipsa tamen valet vindicare adhuc multa criminum genera, ecquid speramus a pęnis reliquis, quarum tanto minor atrocitas et horror est? Quam latior, tetriorque lues flagitiorum corrumperet civitatem, ubi solis pęnis hisce, et non morte quoque uteremur?

§ 11.

De reliquis pęnis capitalibus Iure Romano

Pervenimus ad pęnas eas, quę, quia adimunt caput civile, seu civitatem, capitales et ex eo censeque habentur. Et his iure romano erat damnatio in metallum. Nempe antiquitus in metallorum fodinas rei criminum sępe amandabantur, quo perpetuus eorum labor in illis existeret: sic damnati pęnę servi fiebant (l. Sunt quidam 17a, ff. capitalium 28° in princ., et § Item Hadrianus ff. de pęnis), et ideo cum libertatem amitterent, multo magis civitatem necessario amittebant. Sed posteaquam Justinianus constituit, neminem pęnę causa servum fieri oportere, animadvertendique, similique pęnarum quidem eripere civitatem, libertate privare amplius non poterunt, Novella 22a cap. Quod autem 8°, Mat. in lib. 48 tit. 18 ff. cap. 1° num. 11°

verſ. Atque hæc quidam

Civitatem illam perdebant veniebat usque initio interdictio aquæ, et ignis, tum in insulam deportatio. Illam adhibuerunt Quirites in libera civitate: Nam cum romanæ dignitatis splendor id videretur postulare, idque latis legibus esset constitutum, ne cui Civi Romano mortem inferre liceret, ne cui etiam auferri civitatem invito; ex altera autem parte nequiret stare respublica, nisi flagitiosorum alii coercerentur suppliciis, alii ex Urbe, patriisque finibus dejicerentur, hinc fingere cœperunt illos pœnæ servos fieri, ut servile caput, non civium tolli sic intelligeretur. Heinecius Antiquitatum Romanarum lib. 1. tit. 16. § 5.

Hos autem interdicendos duxerunt aqua, igni, cæterisque necessariis ad vitam. Hoc modo viri mallent amori; cogebantur mutare solum, et cum alienam in civitatem migrarent, adsumptique essent amittebant Civitatem romanam: neque enim romanum civem aliæ quavis civitate potiri ferebat ratio illorum temporum, Heinecius Instit. civ. lib. 1. tit. 16. § 12. et antiquitat. rom. lib. 1. tit. 16. § 10. Antonius Mat. in lib. 48. tit. 18. ff. cap. 7. num. 1. Deinde gratia

Imperatorum

imperatorum accessorante deportatio in insulam, est, nihilque ea pœna frequentius extitit postmodum. Deportandi hic ritus erat. Compedibus vincti, deque navim impositi rei tradebantur servis publicis transferendi in insulam illam, quæ decreta erat, a qua discedere non licebat amplius l. relegat. 7a. § hæc est 1. ff. de interdictis, et relegatis. Heinecius Antiquit. Roman. loco cit. § 11. Deportationi adhærebat bonorum publicatio l. relegatorum 14. § magna differentia 1a. ff. de interdictis et relegatis, l. ultima Cod. si reus, vel accusator mortuus fuerit, Antonius Mat. loco cit.

Damnatio in opus publicum (opus intelligo hoc loco aliud a metallo, metallica opera) damnatio, inquam, in publicum opus capitalis, et non capitalis esse poterat. Capitalis, ubi foret perpetua (eodem jure habendi nunc videntur, qui tamen ad dicuntur usque dum vixerint); non capitalis, ubi ad tempus: etenim illam civitatem tollebat, hæc nullo modo l. sunt quidam 17. ff. de pœnis, l. ad tempus 6a. cod. ex quibus causis infamia irrogatur, Antonius Mat. in lib. 48. tit. 18. ff. cap. 1. num. 4., et 8. utrobique in principio.

Vastruppa 11 ultimo

§ 23.

De Pœnis non capitalibus.

Huc pertinet relegatio: cujus duplex ratio erat. Etenim aut relegabantur ab loco, vel ab Italia; aut relegabantur in locum ex. gr. in Pontum l. 3a, l. 7a in princ. l. 14a in princ. ff. de interdictis, et releg.: id quod contigit ingeniosissimo Poetarum Ovidio. Recte is tamen cecinit

=Nec mihi jus civis, nec mihi nomen abest=. Tristium lib. 3o elegia 2a vers. 72o Quippe negabat relegatio duntaxat accedere ad locum interdictum, aut recedere ab loco jusso: reliqua salva erant. Nam si relegati etiam bona publicabantur interdum, haud fas erat publicari universa, sed partim tantummodo: decernique oportebat id ipsum nominatim: neque enim quemadmodum in deportatione, ita et in relegatione inerat publicatio sua sponte, Antonius Mat. in lib. 48. tit. 18. ff. cap. 1o num. 10o et cap. 2o num. 1o

Publicatio bonorum solet adhærere pœnis capitalibus: at in capitalibus ipsa minime est numeranda, sicuti neque pœnæ reliquæ, quæ minuant pecuniam, patrimoniumque nostrum, vitam, libertatemque, civitatemque non minuant. De

publicatione jure novissimo nec rei liberis, nec etiam parentibus nocitura dictum est alio loco (§ 61o in fine lib. 1.).

Stigmata justa, amputationes membrorum, cæteraque hujuscemodi cruciant quidem hominem, civemque; nec tamen hominem, neque civem delent, ergo non sunt capitalia.

Item de infamia dictum volo: neque enim illa extinguit vitam, non obliterat civitatem: lædit existimationem tantummodo (§ 56o in princ. lib. 1.) Quamobrem definiri solet existimationis læsio. Interpretes volunt infamiam esse duplicem: facti, atque juris. Facti est, quæ existit in opinione hominum: Juris est, quæ existit in lege, Antonius Mat. in lib. 48. tit. 18. ff. cap. 3o num. 1o et 2o Hanc, non illam in pœnis censebis: a legum enim auctoritate, et non a sæpe fallacibus, semperque levibus vulgi judiciis pœnæ oriri debent.